



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 18. Imperii comitia Ratisbonæ continuata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII tationem notarum larvati Theologi in
 A. C. 1653 dissertatione de Trapezitis, præter alia
 quam plurima sat erudita opuscula.

§. XVIII.

*Imperii comitia Ratisbonæ conti-
nuata.*

Pufend. l. 3. **I**nter præcipua, quæ in comitiis Ra-
 tisbonensibus agitabantur, negotia
 §. 49. præprimis componebatur acrior con-
Pfanner l. 1. tentio Suecos inter & Brandenburgicos;
 §. 7. & seq. postquam enim Cæsar datis ad Sueciæ
Tulden. Hist. Reginam literis eidem denuntiaverat,
temp. l. 2. quod Suecis nec investitura, nec suf-
 fragii, nec Sedis facultas in Imperii
 comitiis esset concedenda, nisi prius
 Electori Brandenburgico ulteriorem Po-
 meraniam reddiderint, Sueci quidem
 Cæsareo hoc decreto offensi, discessum
 e Ratisbonensi conventu simulabant,
 jactatis etiam belli minis: nihilominus
 tamen die decima octava Januarii ha-
 bito Stetini Procerum conventu, om-
 nis controversia fuit composita, & die
 decima sexta Junii Pomerania Brande-
 burgicis fuit tradita. Decisis quoque
 aliis controversiis Electores, postquam
 de modo & ordine sedendi, & proce-
 dendi in Collegio Electorali invicem
 transegerant, omnium consensu ineunte
 Mense Aprili, Romanorum Regem esse
 eligen-

eligendum decreverunt, simulque pro electionis loco Augustam Vindelicorum designarunt. Cum autem Ferdinandus III. Imperator Lutheranis in suis ditionibus nunquam liberæ suæ sectæ exercitium indulgere vellet, veramque Religionem per Austriam in tantum restituisset, ut Communio nonnisi sub una specie sumi permitteretur, omnesque, qui huic præcepto non obtemperarent, vel solum verterent, vel Catholicis associarentur, exin nova inter rusticos oriebatur seditio, cujus Primores die decima tertia Maij ex Austria inferiore Ratisbonam literas ad Imperatorem dederunt, in quibus petebant, „ut Cæsar „ab incæpta per Austriam reformatione „desisteret, & Protestantibus concederet, ut tum novis tum antiquis frui „possent Privilegiis; cum indignum „Christiano Orbi videretur, si Judæis, „qui jure explodendi sunt ab omnibus, „major libertas & quies indulgeatur, „quam Evangelicis purissimæ Christianitatis cultoribus: illos autem in Imperio tolerari, protegique, hos vero, „nisi mutent sacra, Imperii finibus eliminatos acriter diripi, & tantum non „ignibus subjici, notum esset: Cæsar „igitur clementiæ suæ memor, animorum tranquillitati, pacisque Religionis firmitati consulere, & Augustanæ „Con-

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

Sæc. XVII. „Confessioni addictos utpote veros Chri-
A. C. 1653. „stianos non averfaretur, neque Impe-
 „rio exigeret: sed quantum fieri posset,
 „tueretur & foveret. „ Attamen Im-
 perator hos Protestantes ad Osnabru-
 genfis pacis observantiam remittebat,
 ipse vero die vigesima Maij Ratisbona
 Augustam unacum Ferdinando IV. ejus
 Filio profectus est, ubi die trigesima
 prima Maij idem Ferdinandus Bohe-
 miæ Rex ab Imperii Electoribus in Re-
 gem Romanorum conspirantibus in u-
 num suffragiis eligebatur; quo facto
 omnes Imperii Ordines Augusta Ratis-
 bonam contenderunt, ubi die decima
 octava Julii novus Romanorum Rex a
 Joanne Philippo de Schönborn Mogun-
 tino Electore coronatus est, reclamante
 licet desuper Electore Coloniensi, qui
 huic solemnitati studiose non interfuit,
 ut antiquum imponendi diadematis jus
 sibi recens ereptum minus moleste fer-
 ret. Præterea Principum nonnulli æ-
 gre ferebant Ferdinandi electionem certo
 nondum constituto modo, vivoque Im-
 peratore factam, necnon Capitulationem,
 ut vocant, conficiendi jus solis
 Electoribus adjudicatum: insuperhabita-
 tamen illorum oppositione Imperator
 varias controversias ex pace Westpha-
 lica exortas composuit, & hucusque in-
 comitiis agitata & decisa unacum Os-
 nabru-

nabrugensi & Monasteriensi pacis in-
 frumento confirmavit, quamvis Scipio
 Heius Apostolicæ Sedis Nuntius ac Pi-
 fanus Archiepiscopus adversus omnia
 ea, quæ tam in Westphalia quam Ra-
 tisbonæ in damnum Ecclesiæ Romano-
 Catholicæ decreta fuissent, palam re-
 clamasset. Porro in iisdem Comitibus
 Poloni auxilia contra Cosaccos pete-
 bant, ob infirmam tamen Imperii con-
 ditionem repulsam ferebant, die deni-
 que quarta Augusti Eleonora Impera-
 trix a Moguntino Electore coronata est,
 rursus sese opponente Coloniensi E-
 lectore.

Sæc. XVII.
 A. C. 1653.

§. XIX.

*Continuatæ Sessiones Romanæ in caus-
 sa quinque Propositionum
 Jansenii.*

Hoc item anno die decima tertia, de-
 cima quinta, & vigesima Januarii
 tres habebantur Sessiones, in quibus
 quinta Jansenii propositio ea profecto
 diligentia, qua major desiderari haud
 posset, fuit discussa; altera die habeba-
 tur Congregatio, cui tamen Janseniani,
 licet sæpius a Cardinale Spada invitati,
 adesse noluerunt. Postquam die vige-
 sima septima ejusdem Mensis Episcopo-
 rum Deputati, prout Cardinalis Spada
 eis

*Wadingh.
 defens. de
 l'Eglis. Rom.
 pag. 415.
 Hist. des
 cinq. Prop.
 lib. 1.
 Vid. supra
 lib. 102.
 §. p. 777.*